

Brodowski Fr. De morbis
Iudaeorum

Brodowski 3441

DE MORBIS
JUDAEORUM
IN
REPUBLICA CRACOVIENSI
HABITANTIUM.

CRACOVIAE
TYPIS UNIVERSITATIS
1841.

DR. MORRIS

LIBRARY

REPUBLICA CROATICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

3441

Exp. archiwowy 181

**DE MORBIS
JUDAEORUM**

IN

REPUBLICA CRACOVIENSI

HAERETANTUM

COMMENTATIO INAUGURALIS

QUAM

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS

IN ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE JAGELLONICA

OBTINENDIS,

SCRIPSIT

Franciscus Brodowski.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS

INSTYTUT

1841. - 1840

**BADAŃ LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA**

**00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 72
Tel, 26-68-63**

WYDAWCA
KSIĘGARNIA
WARSZAWA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

Za pozwoleniem Cenzury Rządowej.

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

WYDAWCA
KSIĘGARNIA

VIRIS

**MUNERUM DIGNITATE, VIRTUTUM
SPLENDORE,**

**ERUDITIONIS AC EXPERIENTIAE LAUDE,
MERITORUM**

**IN SALUTEM PUBLICAM GLORIA,
CONSPICUIS ET GRAVISSIMIS**

PRAECEPTORIBUS

CUNCTIS AD CINERES USQUE COLENDIS,

nec non

CARISSIMO ET AMANTISSIMO

PATRI SUO

JOSEPHO BRODOWSKI

ARTIS PINGENDI IN PICTORUM SCULPTORUMQUE SCHOLA,

PROFESSORI EMERITO



HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

TANQUAM PIETATIS

ET OBSERVANTIAE DOCUMENTUM

PIAECHETORIBUS

DEDICAT

21.838

Auctor.

Praefatio.

Constanti experientia edocemur, cuilibet genti aut stirpi proprios esse morbos, nec ignoramus amplius hodie causam hujus diversitatis quaerendam esse imprimis in varietate regionum coeli, earum scilicet versus radios solis vario situ, majori minorive super aequora maris elevatione, montium, silvarum, aquarum, pratorum aut desertorum vicinitate, tum etiam in multiplici soli natura, quae humum fertilem sterilemve reddit atque efficit, ut hoc sive illo genere alimentorum abundet. — Inde autem pendet varia populorum vivendi ratio, diversitas morum, varius animi culturae gradus, diversae leges tum civiles tum ad religionem spectantes, tum quae ad sanitatis praecepta referuntur, quae cuncta adeo propriam cuilibet populo imprimunt notam ut eam nec tempus cuncta delens, nec sedis mutatio omnino abolere queant, praesertim si vitae morumque ratio

eadem quae ante fuit manet. Ita fit, ut quaevis gens sibi propriis seu endemicis quas dicimus adfectionibus obnoxia sit.

Sed quum omnium populorum singulares enarrare morbos eorumque species, nisi immensi, majoris certe laboris sit, quam cui vires meae sint suffecturae; eos igitur tantum quibus soli Judaei infestari solent, ad mentem Gratosi Ordinis Medicorum Uniuersitatis Jagellonicae, hoc libello conscribere volumus ac praecipue eos qui nostras regiones inhabitantibus proprii sunt. Neque de illis qui alibi degunt, quidquam quod alicujus momenti sit, dici posse videtur. Nam etiamsi Judaei fere per omnem nunc dissipati sunt orbem terrarum; tamen, quia alibi depositis ineptis atque absurdis opinionibus, se in illius populi, apud quem sedem suam constituerunt, mores fingunt, ejusque rationem vitae imitantur, ita fit ut non jam alienigena et quasi separata natio inter alias gentes vivant, sed discrimine sublato cives fiant ejusdem patriae, excepto religionum ritu, cujus semper et ubique sunt observantissimi. — De nostris igitur tantum disputari potest Hebraeis, qui superstitionibus imbuti proprio more a reliquis plane diverso vitam degunt, ut non pro civibus suae patriae, sed pro alienigenis terram peregrinam incolentibus habendi sunt. Quae autem dicemus de Israëlitis reipubli-

cae Cracoviensis, ea sic considerari volumus ac si de cunctis Poloniam, Rossiam, Silesiam et alias terras inhabitantibus sint dicta, quorum plerumque par est vivendi ratio. — Gens Judaeorum hodie dispersa ubique fere spreta et praecipue nostris in regionibus infimam ac miserrimam constituens incolarum classem, adeo est numerosa ut dimidio plerumque civium alius religionis facile adaequari possit, ne proinde in rationibus civilibus pariter ac medicinalibus minime vili pendenda; jure igitur meritoque omnium fere prima Gratosi Ordinis Medicorum in Universitate Jagellonica animum in se convertit, qui morbos nostrorum Judaeorum respectu nosogeniae pro praemio publicae disquisitioni subjecit. Nos vero huic rei operam navantes non possumus satis mirari: populum adeo cunctis in rebus a reliquis incolis discrepantem, adeo singularem et vix a moribus majorum suorum recedentem, licet nunc longe alia conditione, quam antea utentem, tam antiquum et tamen origini suae proximum, tot notabilia corporis animique mala offerentem, eundemque multis operibus legislatorum ac historicorum celebratum, hunc inquam populum, nullius plane vel perpaucorum nonnisi medicorum attentione dignum existimatum esse. Etenim praeter opusculum *Josephi Wolfii* (*Krankheiten der Juden Mannheim 1777*)

et *J. Theineri* succinctam dissertationem a. 1822 conscriptam et nuperrime in fastis societatis medicorum varsaviensium (*Pamiętnik tow. lekar. warszaws. Tom IV. Zeszyt 1, r. 1840*) typis descriptam, num quid ea de re prodierit nos quidem latet.

Exiguo igitur suffulti litterarum adminiculo, hanc suscepimus monographiam, descripturi in dissertatione pro praemio elaboranda morbos Hebraeorum a prima illorum origine ab antiquissimis inde temporibus ad nostra usque, consideratis simul cunctis momentis in vitae genere ac educatione positis, atque ad varios corporis et animi affectus provocandos, sive in Palaestina olim sive apud nos hodie facientibus. Horum omnium succinctam tantummodo mentionem hic facere juvabit, ob arctiores rerum quibus premimur angustias; labor praeterea per se haud facilis est, mihi etiam difficilior, quia primitius; quare si quid vitii irreperit, aut si non omnia ex voto exposuerim, venia a benevolis sit mihi Lectoribus, et hae litterae, conatus potius imperiti tironis, quam opus eruditi auctoris putandus.

Pro duplici omnis vitae fundamento, materia nempe et vi (corpore et anima) ille Judaeis priorum haud magnus morborum familiarum numerus, commode mihi in duos ordines generales dividi posse, visus est, quorum alter amplectatur mala,

CAPUT I.

Morbi Corporis.

Hi ut rite cognosci, apte exponi, ex fonte suo deduci et recte explicari possint, quominus manca evadat historia nostra, non a re fore credidimus haecce valetudinis genera secundum aetates per-lustrare, idque eo magis, quum constet singulas eas peculiare sibi saepenumero vindicare morbos, qui apud Judaeos ob diversam iisque propriam vi-vendi rationem, alimentorum, vestium, domicilio-rum indolem, insigniter differunt. Quapropter varia haec incommoda, cum iis momentis occasionalibus quae disponentia et excitantia appellare mos est, sive effectus cum causis disquirere in animo est.

§. 1. AETAS INFANTUM.

Aetas generationi novae materiei ejusque ef-formationi ac ulteriori elaborationi maximopere di-cata, vegetationis praecipue morbis favet, eo certius contingentibus quo plures adsociantur ex-citantes stimuli; hi autem nullibi profecto nec ita valent, nec adeo abundant, quam inter infimam et

miserrimam classem nostrae israëliticae plebis, cujus est maxima pars. Ex imbecilibus enim ac tenerrimis parentibus propter praematura matrimonia, inopiam rei familiaris, summam munditiei negligentiam, quaenam proles speranda? sane non absimilis genitoribus suis; nam quemadmodum ut verbis Poëtae utar: aquila non parit columbam, ita columbina proles aquilam non refert.

Insignis est quidem amor maternus Judaeorum, sed misera earum conditio, curae graves circa res ad vitam sustentandam omnino necessarias, et praeter haec numerosa haud raro familia, virium quoque et corporis per frequentes partus exhaustio, impediunt, quominus matres sobolem suam recte nutrire queant; quin imo exuberibus suis exiguum ac venenosum lac parvulis suis praebent.— Porro ut angustiis rei familiaris occurrant, integros dies variis negotiis deditae sunt matres, ideo vix semel in diem mammas infanti suo praebere possunt, unde venit ut largo lacte ac repente praebito inundant jejunum ejus ventriculum. Inde oriuntur acorum in stomachum redundantia, cruditates, dejectiones, tormina, vomitus, aphthae, molestiae, tabesque immedicabilis, quae plurimos Judaeorum infantes morti dare solent. Quae mala dum evitare cupiunt, plures Judaeorum alienis nutricibus, vulgo rusticis, soboles suas tradunt, quae ob in-

opiam aut avaritiam matrum, non raro binos ternosve infantes simul nutriendos suscipiunt, unde liquet, eos fame cunctos trucidari. Quod si vero accidit, ut ditiores Hebraei domi nutricem adhibeant, hi ut impensis parcant, conducunt illam sine medici aut obstetricis consilio ac plerumque talem, quae se simul coquae et ancillae officia praestare sit parata, et haud raro praeterea jam pluribus infantibus variae conditionis ubera praebisset. Nonne ejusmodi nutritionis idem expectandus finis, quem supra indicavimus?

Ob hanc lactis aut sui aut alieni inopiam, praemature recens natis porrigunt arte parata nutrimenta, ut panes biscoctos saccharo adpersos, crassa pinguedine aut acescente cremore lactis coagulati tinctos, pultes spissas, placentas dulces, lacte, aromatibus, cinamomo, zingibere, vino, aliisve irritantibus conditas, quas respuentibus licet et ejulantibus pusillis vi in gulam intrudere moliuntur; cum vero conatu illo nihil praestiterint, reliquum illarum cupediarum in posterum tempus servant, et ita jam rancido ac semiputrigo bolo, invitis infantibus denuo eorum buccas implere conantur. — Quis ergo est, qui non sentiat molestias ex hoc immani propriae sobolis cruciatu ex inepto amore materno proveniente? Sane simia-

rum est hic in suam prolem amor soepe amantissimos catulos nimio amplexu necantium.

Hac ergo vivendi ratione praemature sparguntur semina malorum serius ocusve lethalium, aut protinus reliquam vitam miseram concomitantium. Quamvis enim benigno naturae conatu, prava haec ingesta salvo reliquo corpore eiciantur, non minoris tamen momenti urgent adhuc infantes mala; nam infarcti diversissimi generis cibi, post spissum lac nutricis, post praemature praebitas graves farinosas et pinguiculas dapes efficiunt, ut condensetur lymphaticus humor, absorptus vero jam in atriis stagnet, in glandulis scilicet mesaraicis, unde hae tument; deficiente chylo bonae indolis, cruor mancus, sanguis viscidus dissolutus non rite elaboratus fit, quia non est, quo resarciatur, praeter defectum enim materialis alimenti pro haematosi necessarii, deest quoque illud pabulum cruoris, quo hic renovetur, deest nempe aër recens purus in angustis, tenebricosis, spurcis, foetidis ac humidis Judaeorum cubiculis, ubi vulgo tres quatuorve familiae, infantes plures simul sani et aegroti in fimo suo jacent et inquinatum foetore aërem trahunt, quia adhuc ejusmodi commune conclave, simul etiam balneis, lotioni ac ventilationi squalidarum vestium aliarumve quisquiliarum inservit. Evidens igitur causa, cur plerique Judae-

orum pallidam, luridam, inflatam vere cachecticam offerunt apud nos faciem; tanto magis infantes, qui vulgo miseri, leucophlegmatici, semi-hydropici, cum insigniter tumido ventre simulque emaciatis artubus, cum scrophula abdominali et copiosis vermibus obversantur.

Si contigerit aliquando recens natis evitare insidias lethalis pedatrophiae, tum aliud aequè mortiferum, tantummodo diuturnius malum, formis suis plane diversum ab illis impendet; videlicet scrophulosis magis quidem externa, verum tamen gravior longe et pervicacior quam apud alios nostros incolas, cujus praecipuae formae (genera) ut plurimum in cute apud Hebraeos apparent, nec sine ratione, summa etenim spurcities indusiorum, stragulorum, socordia maxima in purganda cute, admodum impetiginibus favent; quidquod balnea ipsa recens natis saluberrima omnino negliguntur propter angustias rei domesticae; at rursus obruuntur culcitis, miserique sic torquentur infantes, vel in commune torum parentum recipiuntur, ubi integra familia crassis lodicibus cooperta jacet et foeda miasmata perspirando, ea sibi invicem communicat. Cutis itaque munus turbari et impediri, ipsamque nunquam absterso squalore irritari debere sponte liquet. Imo prave elaboratorum succorum affluxu non simplex nascitur irritatio, sed haec infecta

morboso humore, pellem diversissimis eruptionibus defoedat.— Hinc manant tot porriginis faciei, tot tineae capitis, non benignae solum, sed etiam serpiginosae, depascentes, facile debilem flammulam vitae infantilis exstinguentes, adeoque lethales praecipue Judaeis, quia malignitatis culpa vitio valetudinariorum et infectorum haud raro parentum tribuenda. — Hinc porro oriuntur achores, favi nimis vasti per integrum corpus extensi, quos jam *Aëtius* (¹), *Cornelius Celsus* (²) et nostris temporibus clarissimus *Alibertus* (³) et *Rustius* (⁴) descripserunt.

Malum isthoc adeo Judaeis commune est, ut non morbus amplius sed indicium quasi prosperae valetudinis futurae existimetur, quod quo uberius erumpit, eo magis assidue fovetur, nec adversus id medici consilium quaeritur; sustentatur autem et multiplicatur insano, nihilominus tamen fere religioso more (a nostris videlicet Judaeis diligenter servato) imponendi filiolis jam altero aetatis anno galericulos (*niebka*) ex corio non satis recte confectos, conglutinatos, pulte farinosa indurescente,

(¹) Aëtii lib. 6.

(²) Corn. Celsi lib. 5 Cap. 28.

(³) *Precis theoretique et pratique sur les maladies de la peau*, Paris 1818.

(⁴) *Helkologie oder über der Natur Erkenntniss und Heilung der Geschwüre*. Wien 1811 T. I §. 22. T. II §. 226, 231 et 232.

coopertos praeterea extus densa tela serica, quae omnia praeterea adhuc pileo aut galero pelliceo teguntur. Quis ergo est tam caecus quin videat hac ratione humores ad caput urgeri, foedasque illas eruptiones sustentari, atque etiam recentes continenter provocari posse?

Plures Hebraeorum cum exulcerata tineā veniunt, quotannis in scholas nostras policlinicas. Superiore anno veniebat in scholam policlinicam chirurgicam puer judaicus quinque annos natus, plane scrophulosi habitus et laxae constitutionis, cui pervicax ulcus unum alterumve, post achores superstes ossa frontis atque bregmatis destruebat, et vix post tres quatuorve menses scarificatis ac circumcisis oris ejus callosis, sinu unguentis balsamico-tonicis expurgato, carunculis firmis elicitis, ulcus in cicatricem coire coepit.

Iis etiam de causis veniunt frequentes inter Judaeorum infantes oculorum adfectus, aequae scrophulosae indolis sub variabili forma ut blepharitides glandulosae, psoricae, quas entropium aut ectropium excipit, ophthalmiae diutinae rebelles, blennorrhoeae, panni diversi generis, ac inde obortae maculae lumina obnubilantes, vel in staphylomata degeneres. Ejusmodi malorum utrumque forum policlinicum omni anno frequentia habet exempla, bis terve numerum talium morborum apud

christianorum infantes excedentia. Inde quoque intelligitur, epidemias quasvis ophthalmicas Hebraeos pejus habere; praecipue autem blepharoblenorrhoea recens natorum et aegyptiaca parvuli judaici praeceteris infestari videntur. Otorrhoeae, tumores colli, parotitides chronicae aliaeque adenitides, facile adeo obdurescentes, ut scirrhum coram habere existimaveris, imo in eundem ipsum, aut in ulcera cacoëthea, putrida, vel torpida diuturna vergantes Judaeorum infantes praecipue vexant. Psydraciae diversissimae figurae ac formae, herpes et impetigines variae (inferius enumerandae, ubi de puerili aetate, quam crebrius infestant, agemus) praecipuum etiam sunt flagellum spurcietiei, praematuri conjugii, nec non vilis nutrimenti nostrorum Judaeorum.

Quae adhuc dicta sunt, facile quemque convincunt, si morbilli, scarlatina et alia ejusmodi exanthemata forte erumpant, longe funestiora fore Judaeis, quam reliquis nostrae terrae incolis. Idem etiam cum dentitione fieri solet. Sed etiam vaccinae ipsius materiem acriorem et deteriorem evadere testis est *Thaddaeus Czacki* (*) si brachio Judaei infantis inseratur. Tot tantisque malis vexati infantes Hebraeorum, in pagis praecipue ab urbe remotioribus, ubi consilium medici non facile ha-

(*) Rozprawa o Żydach. Wilno 1806. §. 9.

bendum, aut necessaria impensa ad acquirenda remedia deficit, curantur miseri domesticis plerumque ineptissimis medicaminibus secundum consilium vetulae alicujus rusticae, circulatorisve vagantis, quorum opera eatenus saltem levatur futura infantis miseria, quatenus praematura mors sequitur. — Ideo ratio mortuorum recens natorum Hebraeorum cum Christianorum infantium collata, nunc quoque eadem esse videtur, quam Czacki in opere supra laudato posuit, nempe ut 114 aut 115 ad 100 quod mirum nemini videbitur, qui computaverit, quot malis Judaeorum infantes obnoxii sunt.

Denique adnotare juvat aliquid de ritu illo religione sancito praeputium praecidendi (*). — Qui quia multa affert incommoda, propter ineptum, quo exercetur modum, et quia ab indoctis plerumque perficitur, quibus hoc munus a Rabbino committi-

(*) Olim circumcisio salutem hominum spectasse videtur, videlicet ut recutiti defenderentur a permultis adfectionibus veretri; praesertim a furunculis et carbunculis malignis saepe numero in glande penis squalori aut coitui smegmatis originem debentibus non raro mortiferis. (Conf. Joeh. 7, 33. Herodot. II, 45. Joseph. cont. Apion. II, 13). Praeterea existimabatur, ipsam foecunditatem ob longum nimis aut acrius praeputium retardari. — Octavo vulgo die post natalem, quemadmodum nunc circumcidebantur genitalia, quominus dolores qui tertio die ab opere cruento vehementissimi esse solent, a pusillis parum adhuc sui ipsorum consciis sentirentur, (Conf. Gen. 34, 25) idque eo magis, quod autore *Augus. Calmet* (Dictionar. ad S. Script. lit. C.) vagantes per deserta Arabiae Israelitae ne-

tur, medici attentionem meretur. Rudes illi carnifices vulgo hoc modo instituunt circumcisionem: supposita lamella argentea inter glandem penis et ipsum praeputium loco specilli chirurgici, deducta, quantum possit maxime cuticula ista antrorsum, hanc aae acutissimo cultro huic tantummodo operi destinato in ejus externa solum pagina incidunt, residuam pelliculam, quae coronae glandis adnectitur, integram relinquentes; quam demum, semota lamella illa argentea, unguibus pollicum praelongis et falcatis discerpunt. — Ex ejusmodi rudi vulneratione summi dolores, non raro convulsiones, trismique post paucos dies teneris lethales futuri, oriri possunt, aut saltem vulnera pessima aegre sananda. Melius itaque foret, ut circumcisores hebraei a medicis forensibus hac in re instruerentur, edocerenturque optimam rationem a Rustio (*) pro-

cessariis, ad hoc opus instrumentis carentes, duce Zipora uxore Mosis, cujus lege mos ille introductus fuit, lapide acuto praeputia circumcidebant, eaque consuetudo ad posteros, ea praecipue de causa transiit, quia credebatur, facilius vulnus lapide quam scalpello inflatum coire. — Jam vero Maccabeorum tempore 150 annos ante Christum natum, quum plures Hebraeorum initiati Graecorum sacris eorum exemplo ut gladiatores nudo corpore in arenam descenderent, pudebat illos deficientis praeputii; quare illud diversis artibus sibi restituere studebant, quam curationem Cornelius Celsus lib. VII. Cap. 25. exacte describit.

(*) Aufsätze und Abhandlungen aus dem Gebiete der Medicin Chirurgie und Staatsarzneikunde T. I. p. 60.

positam, videlicet mucrone cultri falcati cera obducto, acies sursum conversa immittitur ope specilli sulco instructi inter praeputium et glandem penis, tum mucro cultri extruditur prope ipsam coronam glandis et dissecatur dupla cuticula praeputii usque ad extremum finem; lobi laterales incurvato forfice ad basim abscinduntur, alias enim derelicti intumescerent acerbos moverent dolores, dein frigidis fovetur veretrum, quo haemorrhagia atque phlogosis sistantur. — Longe alio autem modo curantur circumcisi ab Judaeis nostris, dilacerato enim praeputio exsugitur et abluitur cruor colis in caesoris ore, repleto vini albi cochlearculo, unde vir ille ritualis *suco* (*Sauger*) dicitur; postea conspergitur vulnus pulvere amyli aliove sanguinem absorbente. Quisque igitur facile cognoscit, lobulos superstites tanto magis irritari, immo inflammari et cicatricem retardari aut plane turbari debere. — Tristes vero casus infectionis recens natorum inter circumcisionem de quibus mentionem fecit *Rustius* ⁽⁸⁾ et auctores annalium societatis medicae var-saviensis ⁽⁹⁾, hodie amplius non accidunt, quippe enim ipsum hoc opus cruentum rectius nunc institui videtur ab Hebraeis, quia vix unquam occurrunt exempla infausti exitus illius.

(8) Helkologie T. II p. 192 nota.

(9) Rocznik Tow. lek. warszawsk. r. 1840 Zeszyt IV p. 12 nota.

Nilominus tamen non desunt apud nostros Judaeos infantes malo venereo varia specie apparente, defoedati; propter radices hujus morbi in gentem illam, ut infra dicitur, alte defixas, seminaque a parentibus et proavis ipsis quasi hereditate propagata. Haec rursus cum scrophulosi, rhachitide aliisque dyscrasiis conjuncta varios iterum pariunt morbos. Ex ejusmodi foeda societate frequentissime inter infantes judaicos oritur secundum *Theinerum* (10) singularis eruptio purpuracea, papulosa sine febre, a genitalibus ad umbilicum prorsus extensa, minime constans sed pluries squamis solutis recurrens, quod haud eodem semper tempore accidit. Paucis demum hebdomadis post, aut morte terminatur exhaustis viribus, aut in alia abita mala morbus iste, praesertim vero in ampla ulcera.

Morbum hunc quasi plane novum primus *Josephus Frankius* (11) descripsit; attamen ipse *Theinerus* fateri videtur, eorum qui de illo scripserunt sicuti et suam conjecturam de contagiosa ejus natura temerariam fuisse. Pertinacitas enim aequae ac adversa terminatio hujus morbi effectus erant potius curationis vehementioris commento de syphilitica indole innixae; nam ipse *Thei-*

(10) Rocznik Tow. Lek. warszaw. wżwż wżmiankowany.

(11) *Praxeos medicae etc. Pars IV vol. 2 pag. 353.*

nerus refert se longe feliciores exitus vidisse, postquam nutrice missa leviori diaeta, tepore lecti et balneis crebrioribus uti ordinaverit. Hinc suoapte confirmatur justa opinio de eruptionis, de qua loquimur, indole a nostro Clarissimo Professore *Majero* prolata, efflorescentiam hanc nihil aliud fuisse nisi simplicem intertriginem recens naturarum, exortam post acores tubi cibarii a crasso aut pringui lacte feminae ubera praebentis, sive post alia hujuscemodi nutrimenta; etsi negari nequit, dyscrasiam hereditariam multum hic conferre potuisse.

§. 2. AETAS PUERILIS.

Tantam malorum catervam in praegressis expositam etsi evitare prospere contigerit, non ideo tamen tuti jam dicendi sunt Hebraei ab ulterioribus aequae perniciosis adfectibus.

Quamprimum infans vi propria sese erigere et pedibus utcunque niti valet, prorepat domo, deserit coenosas ejus cavernas, et nemine custodiente vagatur per loca quisquiliarum et paedoris, ut apud Judaeos mos est, plena. Hieme atque aestate non satis vestibus a frigore ac tempestate munitus, aut torpet gelu, aut uritur aestu solis, aut in squalidis viis a prima luce ad vesperum usque volutatur. Etenim vestimentum infantis Judaei apud nos con-

stat brevi subucula et hac breviori tunica externa (Leibik); galericulo (krymka) tegitur caput; pedes ac femoralia omni velamento carent; quae autem corpus tegunt, ea aequae sordida ac spurca sunt, atque ipsum corpus a vertice, ut ajunt, ad extremum unguem. Festis diebus tantum utuntur vestibus longioribus, calceamentis, tibialibus et pileo aut galero pelliceo, ad eandem formam quae patribus in usu est.

Quod ad victum attinet, is hac quoque periodo vitae vilissimus est. Capaces cibi infantes, vescuntur apud Judaeos nostros esculentis tuberibus solani, crasso pane, duro caseo, seminibus fabae sativae, ervi lentis, pisi, harengis foetidissimis; cepa et aliis ejusmodi. Praeterea aestate, coagulato acescende lacte, cerevisia faeculenta (ut pote quae minoris venditur). Haud raro etiam sicera quotidie iis praebetur, quam putant contra vermes intestinales valere. Puellae feliciori fruuntur sorte quam pueri, nam et amictus illarum longior, ideoque commodior est, nostro haud dissimilis; et immunes sunt earum vexationum, quas ulterior demum aetas iis adfert, quo fit ut puellis multo minora minantur mala, quam pueris, earumque hac de causa vegetiores conspiciamus facies quam masculorum.

Quarto enim quintove anno vitae mittuntur pueri ad praeceptorem id est *belfer* (Behelfer) dictum,

qui in augusto cunclavi cum aliis plerumque familiis una habitans, gregem discipulorum, quos simul docet tetram mephitim attrahere cogit, dum eos inter clamores, quasi uno ore editos, continenter corpus caputque inclinare ac sursum tollere jubet; identidem, carpens aures, capillosve pigriorum, aut potius fessorum, vel capita tundens eorum, quos ad molestum clamandi et nutandi officium excitare studet. Itaque pueri vix primo mane, cibo aliquo sumto, fame enecti vespere demum redeunt domos, ubi devorato avide frustulo panis nigri et uno alterove pugillo fabae grandioris coctae et subfrigidae, clamore et nutatione exhausti, onerato tam graviter ventriculo, dant corpora somno. Inde igitur cruditates stomachi, profluvium alvi aliaque turbae concoctionis et non raro vasorum universitate in laboris societatem adducto, febres oriuntur gastricae. Praeterea ipse modus discendi, urget propemodum humores ad caput, unde rursus supra memorati morbi oculorum capitis et faciei moventur, quarum etiam partium rudis tractatio a praeceptoribus nova procreat vitia instrumentorum auditus ut otitides, otorrhoeas, dysecojam etc. Praematura haec ad disciplinas, quas intelligere non valent, impulsio et ipsa non parum eo confert, ut formatio summopere laedatur et in dies gravius adficiatur; quare non solum cutis aliarumque par-

tium mollium textura degenerat, sed et fulcrum totius corporis, puta ossa et cartilagines laeduntur. Siquidem liquescit et quasi solvitur eorum substantia, atque docti ad speciem pueri, revera stupidi fiunt, incurvato trunco membrisque, rhachitici, gibbosi, uno verbo difformes evadunt. Ex iisdem quoque causis venit, ut ipsa ulcera, hac aetate Judaeis frequentissima ad ossa usque penetrare soleant; licet enim tunc osteomalacia nondum adeo evoluta est ut pueros gibbosos reddere possit, caries tamen, necrosis, chronicae phlogoses juncturarum pessimo exitu notabiles scilicet spontanea luxatione seu arthrocacia *Rustii* ⁽¹²⁾, spinnae ventosae, periostitides, aliique tumores ossium ex eodem fonte deduci queunt; unde fit ut duplo triplove crebriores inter liberos nostrae plebis israëliticae animadvertantur, quam apud Christianos. Princeps autem origo tam gravium adfectuum non solum ex communibus, vegetationi inimicis et paulo supra commemoratis deducitur causis; sed pariter etiam ex latitante viri syphilitici semine, jam per plures forsitan generationes Hebraeorum

(12) Arthrokakologie oder über die Verrenkungen durch innere Bedingung und über die Heilkraft Wirkungs- und Anwendungsart des Glüheisens bei diesen Krankheitsformen mit 8 Kupf. Wien 1817.

continuo sese reproducentis. Quare nihil mirum, si ossa eorum spongiosa, fragilia facile evadunt.

Hac quoque aetate ingens multitudo impetiginum defoedat pueros puellasque Judaeas, forma ac specie plane diversis. Inter alia, maxime eos infestant herpes varii, ut squamosi plus minus humidi seu eczema *Willani* et *Batemani*, melitagra flavescens, psoriasis, alias herpes furfuraceus circinatus *Aliberti* (*Dartre furfuracé arrondie*) ceu papulae verae cuti fere concolores, parum nonnisi ab ea lucidiores in ambitu suo minores iis, quae in herpete squamoso occurrunt, unde quoque et cuticulam in exilioribus demittunt laciniis, concomitante simul pruritu vel etiam ardore. Jam vero etiam impetigo, quam olim leprae genuinae adnumeravit *Moses* (¹³), *Hippocrates* (¹⁴), *A. C. Celsus* et *Aëtius* (¹⁵); recentiorum autem *Willan* et *Ba-*

(¹³) Levi: versio 13, 6. 12, 13. ubi subdividitur lepra in tres species 1^o *Scheet* seu Tumor extimus, 2^o *Sopahat* seu pustula, 3^o *Levenah adamamet* seu macula lucida rubescens. Levi: 10, 15. 13, 19, -20. 24, 29. 30, 34. 35, 36. 42, 43.

(¹⁴) Hippocrates in libro de affectionibus existimans lepram nihil nisi simplicem turpedinem cutis esse, aequè psydraciam huic terrimo malo subjunxisse videtur.

(¹⁵) Nonnullae species Vitiliginis a *Cornelio Celso* (*Lib. V. Cap. 28. §, 17. 19*) et *Aëtio* (*Sermo Xiiij Cap. XXXij*) ab illis sicut a pluribus posterioribus autoribus ut *Cunnaeo*, *Jahno* (*Archaeol. bibl. pars. I. Cap. 12*) ac *Sim. Lindingero* (*de Hebraeor. arte med. pars. I. Cap. 13*) leprae adnumeratae, psoram aut psoriasim feram sic dictam constituere videntur.

teman (¹⁶); herpes squamosus lihenoides *Aliberti*, frequens etiam est socius immunditiei ac depravatae nutritionis corporis nostrorum Israëliitarum.— Tandem mentagra, syriasis menti *Willani* et *Batemani* in regione coeli, sub qua degimus, speciem crustosae, plus minusve humidae efflorescentiae moleste prurientis offere solet; quae in schola polyclica saepe occurit apud Hebraeos utriusque sexus. Teste *Aliberto* in Gallia longe atrocior est morbus iste, ac praecipue defoedare traditur, monachos, Turcas et Hebraeos, qui barbas tondere recusant, aut eas non aliter, nisi diversis massis depilatoriis corrodentibus glabrant, quia cultri aut novaculae usum, religionis praecepta prohibent (¹⁷). In Gallia tam atrociter foedus iste morbus grassari dicitur, quam olim Romae temporibus Tiberii, tradente *Plinio*. His ergo diversis efflorescentiis plus aut minus vexantur Israëlitae nostri; frequentius tamen deterioribus ac pertinacioribus quam reliqui hujus regionis cives. Etenim quantum rescire licuit ex fastis nosocomii ad S. Spiritum, ubi praecaeteris omnes graviores morbi cutanei, aequae Judaeis ac

(¹⁶) Journ. des connais. médic. 1834 a. 15 Octob. pag. 72. ubi legitur psoriasim a *Willano* et *Batemaniano* dictam, pariter ac pityriasim ab *Aliberto* eundem esse morbum, qui olim sicuti et hodie leprae vulgaris nomen habet.

(¹⁷) Jour. des connais. médic. 1834 a. 15 Jul. pag. 253 et 15 Mai ejusdem anni.

Christianis contingentes curari solent; decennio quod a 1820 ad 1830 excurrit, Israëlitae herpetibus variis laborantes, octavam decimam partem omnium aegrorum hujusce nosocomii explebant, et Christiani tantum sexagesimam; dolendum tamen, impetiginum formas et speciem accuratius non fuisse determinatas. Notandum vero obiter discrimen hoc longe majus futurum, si omnes Judaei, qui impetigine laborant, noti essent. Quod nunc indicari non potest, quum nosocomia propriis ac peculiaribus ejusmodi morbis (qualia apud nos sunt) destinata non habeant, a nostris autem adeo abhorreant, ut urgente duntaxat necessitate, hoc ad extremum reservato consilio, Christianorum nosocomia adeant et plerumque domi ignoti curentur.—Spatio annorum a 1830 usque 1836, multitudo herpeticorum Judaeorum, fere dimidio major fuit, quam in praecedentibus et Christianorum eadem. Sed mirandum profecto, quod ab hoc inde tempore in diariis nosocomiorum nulli amplius reperiuntur Hebraei sive cum herpete qualicumque sive cum scabie ipsa. Quae causa sit tam repentinae mutationis, ignoratur. Susplicari licet: illos metuentes ne res eorum familiaris, quam sibi mercatura parant detrimenti quid caperet, lucri cupidine ductos, cautiores redditos esse, ideoque minus turpibus efflorescentiis obnoxios.

Ex formis impetiginum maxime aspectu horrendis, duae nobis occurrunt visae apud Hebraeos, qui proximis annis semel in schola policlinica chirurgica vario tempore curabantur. Uterque eorum fuerunt mediae aetatis fere, miserae constitutionis, mendici, cutis in cruribus eorum ita degener erat ut callosa esset magis, tumoribus praeterea diffusis inaequalis, squamis obsessa, reliqua albidior, rhagadibus fissa praecipue circa dorsum pedis sudantibus tenuem sanguinolentum humorem; crus inferius ambitu fuit prope duplo a normali crassius, superius vero extenuatum obtuse dolens, unde incessus molestus et claudicationi similis factus est, salvo reliquo corpore; quare colligimus nisi veram, certe pseudo-elephantiasim eum morbum fuisse.

Nunc denique sequitur morbus ab antiquissimis temporibus adhuc fere Judaeis familiaris habitus, videlicet scabies aut *ψωρα* Graecorum; non ita pridem malum adeo vulgare tribulibus Israëlis, ut teste *Theinero*, medico olim artem suam Varsaviae exercente (18) omnino necessarium, imo perpetuus successor matrimonii putaretur. Quare, etsi tam turpe esset adspectu, nullum fere fastidium apud Judaeos movisse videtur; siquidem idem medicus testatur, contigisse sibi ancillam videre foedatis

(18) Rocznik tow, lek.



scabie manibus massam ex farina subigentem, praesente hera.

Cito lateque igitur divulgari debere scabiem quisque agnoscit. Sed multo magis etiam acceleratur progressus contagii ipsa proclivitate ad scrophulam Judaeis, ut vidimus, aequae propriam ac immundities eorum est. Nam quod nunc (postulante id quasi religioso ritu) munditiei praecepta curatius se quam veteres et alienigenas observare gloriantur nostrates Judaei, id ad speciem fit tantum; si quidem conspergunt potius manus aqua, quam lavant, quum aut summos tantum digitos madefaciant paucas guttas aquae ex collicis domorum stillantis excipientes, aut inter eundem, pauxillum nivis ex humo sumentes, conterunt digitis. Cur autem id faciant, aut plane ignorant, aut falsas omnino hujus sibi rei fingunt causas. Utuntur quidem et balneis; sed qualesnam sunt eorum thermae? Casae tenebricosae, humidae, foetidissimae, stercoris plaene, ubi in labris lutulentis immunda aqua lavant: quid? quod ut sumptibus parcant, unum idemque balneum usui totius familiae destinant, quae tamen contagioso morbo affectis carere vix potest. Tali pacto proles recipit virus varium a parentibus, quod hi aut sibi ipsi compararunt, causis supra memoratis continenter vim suam perniciosam exercentibus per totam vi-

tam obnoxii; aut ab aliis per contagionem acceperunt; aut denique ex munere solo mangonii, quo creberrime funguntur, hacce sunt nacti. Sed recens nati infantes propter minorem morbi recipiendi facultatem (quam receptivitatem appellant), rarius contagium contrahunt. Idcirco rariora sunt apud eos exempla scabiei, atque turpitudine haec posteriori demum aetati, puerili videlicet juvenili ac senili magis est propria; quare hic maxime oportunus esse locus videtur de morbo isto agendi.

Secundum calculum ex fastis nosocomei ad **S. Spiritum**, annorum **1820** ad **1830** Israëliitarum scabiosorum erat pars tertia, Christianorum vero decima circiter. Sed spatio sex insequentium annorum, fere inversa ratio apparuit, quia Judaei vix decimam, Christiani autem scabiosi octavam partem totius numeri aegrotorum hujus valetudinarij explebant; et reliquis annis usque ad **1840** plane nemo est Hebraeorum cum scabie aliave impetigine ephemeridibus nosocomei inscriptus. In policlinicis autem diariis, vix noveni aut deni psorici Hebraei per annum occurrunt; quum interea in eodem valetudinario **S. Spiritus**, Christiani scabie laborantes biennii spatio (ab **1836** anno ad **1838**) supra sexaginta fuerint; qui numerus a. **1839** ad centum triginta circiter et a. **1840** fere ad centum quinquaginta crevit. Vae! miserae plebi nostrae, quae cuncta

fere ad vitae usum necessaria, ab Judaeis petens illis fortunam suam, illis omne lucrum duro labore quaesitum tradit, acceptura ab iis res ne nauci faciendas, quis scit, quomodo paratas, quali viro infectas? Coëmit igitur sat magno pretio morbos aegre haud raro tollendos! Tristia ejusmodi exempla in ipso illo brevi temporis spatio quo scholas clinicas frequentavimus saepius observavimus ipsi, quo magis rei fides constet, quod attinet ad causam increbrescentis adeo contagionis scabiosae inter Christianos. En igitur morbos, qui parvulos Hebraeos infestant, atque plerumque etiam in subsequentem vitae periodum quin in seram usque senectutem protrahuntur, aut deinceps aliorum aliorumque malorum semina spargunt et causa sunt.

§. 3. AETAS JUVENILIS AC VIRILIS.

Praeter adfectus cutis paulo superius prolatos, qui inevitabiles sunt totius vitae Judaeorum socii, veluti poena quaedam, quam pro immunditia sua luunt, iidem quoque habentur morbi officinae digestionis in hac sicut in praecedentibus periodis, graviores tamen et profundius radices suas demittentes. Propter enim angustias rei domesticae, caritatem majorem annonae apud Judaeos, (cujus causa quaerenda est in vanis *Rabbinistarum* figmentis circa res immundas, quum vesci non per-

mittant, nisi iis rebus, quas appellant (koszerne), aliisque permultis ineptiis, quae in talmudo deformato inveniuntur, et quae maxima ex parte vera lex *Mosis* ignorat); non minus ac propter nimiam avaritiam, vilissimis utuntur cibis. Parcum jentaculum constans offula crassi panis nec non sicerae pocillo, aut poculo tenuis cerevisiae est haud raro coena integri diei. Praeterea allium aut cepae usitatissimae sunt cupediae, quae coenae suggeruntur, aut ejus locum obtinent; post quae, aqua siti-entem satiat ventriculum arefactum tanta acredine caeparum, tam copiose ingestarum ut omnis perspiratio, ut non vestes solum et habitatio sed et longinquiora omnia, circa circum foetidissimum redoleant odorem. Ex hac igitur acredine concoctio graviter laeditur, acorum abundantia nascitur ventriculus irritatur, imo incenditur, gastritides longinquae, tormina molesta et diurna oriuntur. At longius etiam res procedunt; inficiuntur enim ipsi liquores corpus instauraturi. Itaque desiderium chyli bonae indolis post inanes cibos, suppleri debet acrylympha; et non tantum textus normae consonus non elaboratur sed morbosae etiam fiunt metamorphoses et quidem praecipue in cute, ea potissimum de causa quod volatile principium allii ex interioribus summum corpus petere videtur; cujus rei optimo documento est singularis ille odor Judaeorum, de quo

paulo ante mentionem fecimus. Dr *Zwieklitz* medicus in civitate nostra haud vulgaris, nosocomii Israëlitarum mobilis, ut dicunt, curator, soepius observavit blepharitides ac blepharophthalmias chronicas, crebrius inter Judaeos quam inter Christianos occurrere; quas procul dubio procreat acer odor, crudae caepae et allii continue fere manducatorum, qui cujusque insueti tam vehementer nares oculosque afficit, ut etiam lacrimas exprimat. Sed non minus digestio turbatur, mira et insueta Judaeorum vivendi ratione; famelici enim per tota hebdomada lucro faciendo dediti, Sabbathi demum die requiescunt curamque animi remittunt atque genio indulgent suo; quoniam vero is dies adeo sanctus est, ut ne cibos quidem coquere liceat, hi igitur maxima ex parte frigidi, jam pridie parati, plurimum pingues, farinosi, dulces, (is enim sapor Judaeis jucundissimus est) cupide devorantur. Post ejusmodi gravia ferula, precibus religiose peractis, somno indulgent, quo tandem satiati reliquas diei horas desides consumunt, siquidem religiosum est, hac die vel minimum suscipere opus (¹⁹). — Pari igitur modo sicut in

(¹⁹) Haec inviolabilis Sabbathi quasi sanctitas, Judaeos ad inertiam adigens, nequaquam Mosaicis institutionibus, sed serius demum per commenta Rabbistarum introducta est. Prohibentur enim hac die: longius quam mille passuum iter facere, cibos parare, quin et comedere olim nefas credebatur, nec jumentis pabulam praebere, nec aegrum invisere, nec medici-

puerili aetate notavimus, cruditates stomachi, dyspepsiae, anorexiae, febres gastricae, hac etiam vitae periodo oriri queunt.— Idcirco post Sabbathum plurimi Judaei ventriculo laborantes petunt suum nosodochium, aut quaerunt consilium in schola policlinica medica, si privatos non adeunt medicos. Tanto frequentius Hebraei patiuntur incommoda stomachi post festa diversa, quibus jejunia praemittuntur, haud protracta quidem, at diligenter observata vacuo ventre ab ortu ad occasum solis.

Quoniam vero non pauci Israelitae sedentariam agunt vitam, tum opificii causa, tum studio quodam incredibili propositorum Mischnae et Gammarae dediti; per se igitur patet: stases in venis inferioribus trunci, tumores ac duritiem viscerum summamque ad hydropes proclivitatem nec non cachexias omnis generis inde nasci debere. Hinc isti doctores Hebraeorum qui diebus noctibusque cabbalistica custodiunt mysteria, praeter adfectiones animi, de quibus postea agetur, moribundi offerunt speciem et manium instar repunt per vias. Quo enim, si non juventutis tempore, corpus perfectius reddi et robore augeri debeat? quando humores cunctas

nam praebere, nec quemquam vel maxime afflictum malo adjuvare licuit. Aliae quoque innumerabiles insaniae, de vetitis die Sabbathi rebus, voluminibus corrupti jam et perversi talmudi continebantur et passim adhuc observantur praecipue ab iis, qui sunt ex nostra tribu Israelis.

venas medullasque rapidius permeant et vita conformatrix quam maxime viget. Contra vero in ejusmodi immobilitate corporis omnia vitae munera necessario languescere coguntur, unde rursus nova prodit malorum caterva, partim jam recensitorum, partim facile intelligendorum. Sed haec non ultima est iniqua Hebraeorum nostrae civitatis, cujus misera, uti vidimus, ratio vivendi est causa. Nam male muniti vestibus contra aëris injurias, ventre vix aliquantulum satiato, pervagant sparsim urbes ac vicos, a prima luce ad vesperam usque quaestus gratia. Expositi ergo vicissitudinibus coeli, crebrius quam alii cives obnoxii sunt rheumatismo catarrhoque sub varia forma. Quare e tribus vel quatuor Judaeis in scholas policlinicas venientibus, unus minimum de alterutro horum malorum conqueri solet; praecipue autem de rheumatismo crurum, sive sub arthritidis sive sub myodyninae specie, plus minus acutae aut chronicae soepius reudentis.

Catarrhi pulmonum diurni, vel recentes, non raro sunt Hebraeorum incommoda, ex eodem fonte ex quo rheumatismi manantia. Fatendum tamen obiter est, rusticos nostrates longe gravius etiam eodem malo pectoris vexari, quod saepissime in diurnos inveteratos adfectus apud eos vertitur, ob nimium sicerae usum durosque labores. At Judaei etiam febribus rheumaticis aut catarrhalibus

a similibus causis profectis, haud infrequenter laborant. Pneumonia etiam non minus rara inter Israëlitas ob perfrigescens corpus et madefactos pedes. Sed occurrunt quoque exempla singularium inflammationum extorum variis eruptionibus, etiam contagiosis repercussis, e. g. scabiei; casusque tales frequentiores esse debere apud Hebraeos, quam apud Christianos, quivis consentiet, quem non fugit memoria tantae multitudinis impetiginum et simul tantae iniquitatis rerum, quibus nostri circumdantur Judaei. Memorabile hujus rei exemplum retulit nobis *Clar. Julianus Sawiczewski* optime emeritus professor medicinae in Academia nostra, olim per multos annos archiater nosocomii judaici. Judaeus quidam vegetus ast nihilominus scabiosus, frigoris iniuria tactus eruptionem evanescere conspexit sed simul pectus affectum esse animadvertit. Mox malum istud in gravem pleuroperipneumoniam abiit. Tunc in nosocomeum advectus, quia studiose celabat praecedentem illam eruptionem, quam sanatam esse existimabat, curabatur, ut decuit simplici pleuroperipneumonia affectum. Post largam venaesecionem, sub usu cataplasmatum quibus pectus continuo fovebatur potionumque lenientium, sudor erupit decretorius; ast simul cum iis papulae scabiei propriae hinc illinc provenire coeperunt. Vix cognito salubri hocce naturae conatu *Cl. archiater,*

subuculam, liquore, quem pustulae scabiosorum emittunt contaminatam, sudanti induere jussit; qui tum demum severe exploratus: se hac turpi impetigine jam antea infectum fuisse fassus est. Ea ratione quo magis eruptio augebatur eo magis sudores minuebantur, sed pneumonia quoque manifeste decrescebat, ac tandem quum prorsus evanisset malum pectoris, propter scabiem ad proprium huic morbo nosocomium ad S. Spiritum relegatus est, ubi caute et de integro ab illa detestabili efflorescentia liberatus est. Similes casus certe crebrius occurrunt inter nostros Hebraeos, et longe plures adhuc proferri possint. Nos tamen in hoc memorabili exemplo acquiescimus (²⁰).

Sed alia adhuc est ratio cur etiam Judaei frequentes patiantur adfectus pectoris, praematura scilicet matrimonia vel maxime hujus rei culpam gerunt. Puer enim sedecim annos natus cum puella vix tertium decimum vitae annum agente, jam conjugium ineunt.

(²⁰) *Rustius* in opere suo: Aufsätze und Abhandlungen aus dem Gebiete der Medicin etc. Tom I. 1er Abtheil. pag. 306 et propriam tradit observationem et doctissimi Jägeri, celeberrimi ophthalmiatrici vindobonensis. Hanc scilicet: fungus medullares oculi frequenter oriri, post suppressam scabiem aut in decursu suo mala arte impeditam, et hac revocata, progressus morbi in oculo non raro longum in tempus retineri aut plane sufflaminari. At diversissima quoque alia mala e retropulsa scabie exoriri posse, certe neminem medicorum latet.

Cui rei quum nimis faveret facilitas matrimonia contrahendi, licentia haec tandem lege aliquantum est cohibita. Inde enim quemadmodum etiam ex divortiis crebris aequae facile obtinendis, non morbi solum, sed dissolutio quoque morum indies magis magisque increbrescebat; quod jam *Czacki* monuit (²¹).

Haecce praematura vitae genitalis excitatio causa esse videtur praecocioris adventus menstruum apud puellas Israëliticas, quam apud virgines Christianas; quam notabilem observationem fecit jam supra memoratus medicus *Dr Zwiklitz*. — Nequaquam igitur causa hujus rei quaerenda est in remota quadam ex Asia transmissa nationis indole; ubi revera maturius perfici soleant omnes vitae actiones, at potius adcurari debent pravae institutiones Hebraeorum nostrorum, quae ut religiosae veterrima antiquitate confirmantur (²²).

(²¹) T. Czacki l. c. §. 9.

(²²) Polygamia a patriarchis plebis Israëliticae jam ante Mosen constituta, eo consilio, ut populus Dei quammaxime multiplicetur, ab eodem ingenioso viro uti damnosa jam cognita, restricta saltem est, vi juris Leviratus (Gen. 38, 8—12) praefinitoque numero uxorum quas summo sacerdoti ducere liceret (Deut. 17, 17) ad cujus exemplum reliqua plebs se componere debebat; uxorum autem una solum legitima et heredi domi habebatur reliquae pellices erant.

Inde venit, ut imberbis adhuc juvenis cum tenera aequè puella coitum exercendo vires suas invicem exhauriunt; et qui prolem procreare debeant, ii morbos potius in posterum, aut difficulter tollendos, aut plane lethales generant; quales sunt potissimum: haemoptoë, tusses molestae, dyspnoeae, pneumoniae longinquae denique tabes, miseros e medio auferentes. Haec quoque causa est, cur multi juvenes Hebraei delumbes, corpore exiles et macri, imbecilli ac fere stupidi cernuntur ⁽²³⁾. His similia sunt incommoda, quae iisdem de causis feminae israëliticae patiuntur, ut aut steriles omnino evadant, aut contra nimis maturae magnum numerum infantum enixae, trigesimo aetatis anno jam vetulae fiant ad ulteriorem propagationem non idoneae, et ad abortum pronae; cui longe saepius obnoxiae sunt quam mulieres Christianae, crebrius quoque ex partu moriri dicuntur ⁽²⁴⁾. Etiam si igitur Judaei tam mature matrimonia ineunt, etiam si copiosam prognerant sobolem; nihilominus tamen carent solatio matrimonii communi, videlicet firma et valida progenie. Haec vero infirmitas prolis atque matrum sterilitas occasionem iis praebet ut variis utantur remediis, quibus proli firmitatem et sibi foecunditatem se conciliare posse opinantur. Di-

⁽²³⁾ *Frank. Medic. Polizei. Wien 1786. 2 Theil.*

⁽²⁴⁾ *Czacki l. c. § 9.*

versissima igitur, haud raro maxime absurda sectantur consilia, quae anus stultae aut lucri cupidae sedulo subministrant. Princeps vero fons istius cupidinis procreandi quam plurimos infantes etiam in praeconcepta opinione Judaeorum inque lege ipsa inepte adplicata quaerendus (²⁵). Inde quoque venit, ut permultae mulieres judaicae virum nactae indentidem graviditati dent operam, quum vix a mamma depulso infante id agunt, ut quam primum gravidae fiant: unde venit, ut, quamdiu virum habent, menstruis cursibus plane careant, et ideo teste **Dre Zwieklitz** citius in annos climactericos quos vocant incidant; atque tum plurimae, ob constanter retentos per tot annos menses, ob nimium hujus visceris laborem, ob continuos affluxus humorum ad partes istas, ventres tumidos habeant, quales praeseferunt hydropici, cum insigni plethora abdominali stasibusque in venis. — Idem porro medicus adfirmat: sibi haud raro obvenisse ut multos reperiret varices in laqueari va-

(²⁵) Ab antiquissimis temporibus mulieres Hebraeorum summopere pudebat, virgines innuptas et sine prole mori (Gen. 16, 2. 4, 19. 30, 32); quin etiam sterilitas pro poena Dei habebatur (Gen. 25, 2. 49, 21. Deut. 18, 4. 1, 4). Idcirco Hebraeae diversa etiam adhibebant philtrea, (Gen. 30, 15. 30, 16) quae iis sine dubio magna detrimenta adferebant, aliae iterum uxores suggeriebant maribus suis pellices ancillas, dummodo liberos ex hisce progenitos sibi adoptare possent. (Gen. 16, 31. 3, 30. 3, 18).

ginae aut ad collum ipsius uteri, amplos quoque tumores in instar bulborum, nec non praegrandes mariscas haemorrhoidales ad anum. Ex his igitur facile quisque conjicit, etiam profluvia sanguinis e partibus verendis, diutinas earum inflammationes et postea varia vitia fabricae enasci posse. Multiplices etiam adfectus nervorum, in his: hysteria, collicae, cardialgiae, haemorrhoides, denique leucorrhoeae, modo acres ideoque malignae dictae, modo insontes sive benignae, ex iisdem causis ortum ducunt, et quo crebrius tanto acrius Judaeas nostras vexant; quia hae praeterea diversis, ut monuimus, utuntur remediis, plerumque incitantibus acerbis, modo ad provocandam desideratam foecunditatem, modo contra ista nunc recensita incommoda. Leucorrhoeae apud Hebraeas eo pervicatiores esse solent, quod cum impetiginibus, vel cum aequo crebro inter Judaeos latente dyscrasia syphilitica junguntur, ac revera frequenter occurrunt in schola policlinica medica exempla fluoris albi maligni adeo ut fere quarta vel quinta quaeque Judaeorum ibidem auxilium quaerentium, sive nupta sit viro, sive virgo, junior aut aetate proVectiori, hoc soepius revertente profluvio torquetur. Tandem ex assiduo concubitu conjugum tot tantisque, ut ita dicam, contagiis infectorum, valedudinariorum, facile germina venerei morbi et mo-

do quasi primario, sine vaga libidine, inter Israëlitas nostros enasci posse credimus. Atque syphilidis malum gravius Judaeos quam Christianos infestare his certe temporibus documento sunt ephemerides nostri nosocomei ubi syphilitici curantur. — Nam decennio proxime praecedenti (1820, 1830) ratio Judaeorum hoc foedo malo laborantium ad Christianos eodem adfectos erat circiter ut 4 ad 3. — Intervallo annorum ab 1830 ad 1836 ratio haec invaluit, quia erat fere uti 5 ad 3. — Sed reliquis annis usque ad proxime superiorem vix perpauca invenias in eodem nosocomio Israëlitas. Ex iis quoque fastis innotuit, majorem vulgo numerum Israëliotarum adfuisse lue jam venerea aegrotantium, quam Christianorum; et discrimen erat quasi 3 ad 2. — Frequentissima vero syphilidis forma, ozaena erat, licet non ubique mere venerea, sed non raro aliis etiam dyscrasiis genita; praecipue scrophulosa, adeo, ut difficile sit statuere, qui verus fons morbi sit, virus venereum, an acrimonia scrophulosa? — Talis ambiguae ac pertinacissimae apud Judaeos ozaenae, ipsam haud raro faciem deturpantis plures enarrare possem casus. Tres tamen notabiliores sunt, non ita pridem, (post aliquot annorum curationem) in nosocomio ad S. Spiritum radicitus sanati. Ac primum quidem adolescens hebraeus octodecim annorum, cui jam a quinque

annis laboranti, ulcera scrophuloso-venerea faciem vorabant; horribilem adspectum, ossibus nasi et palati exesis, praeseferens, postquam per duos annos varia medicamenta mercurialia, tinctur: antimiasmaticam Koechlini, aurumque muriaticum sumpsisset, tandem post usum hydrargyri jodati pristinam recuperavit valetudinem. Alter quindecim annorum puer ulcere linguae syphilitico a duobus annis adfectus, per triennium curatus, adhibita severiori medela, ope ejusdem medicamenti sanatus est. Alius morbus huic similis de quo initio mentionem injieci, excepta carie nasi, eadem curatione adhibita feliciter terminatus est. Inveniri adhuc possunt aliquot Hebraei ejusmodi turpibus morbis defoedati, omnes tamen post unum alterumve annum, plane sanati, aut inclinata jam in melius valetudine et convalescentiae proximi domum dimissi. Sed constans est opinio medicorum apud nos medicinam factitantium, fieri vix posse, ut aliquo modo radicitus tollatur virus venereum apud nostrates Judaeos ea potissimum de causa, quod impatientes sint stricioris medelae, ad perfectam sanationem omnino necessariae, quia coacti diurni laboris mercede quotidiana vitae subsidia sibi comparare, longiorem curationem atque lentam convalescentiam ferre non possunt. Quare non tantum in ipsa curatione contra diaeteti-

cam clam medico peccant; sed etiam inclinata aliquantum in melius valetudine medicum et medicinam deserunt, aut (quod fit plerumque) morbo non nisi ad speciem ab aliquo pharmacopola circumforaneo sanato, reliquam medelam negligunt et idcirco in eundem morbum longe graviolem ac pertinaciorlem recidunt, atque ita contagium ejus late disseminant; quare non mirum, luem syphiliticam praeceteris Hebraeos nostros male habere. Quae denique valetudinis incommoda Judaeis praecipue propria sint, ex illorum negotiis facile cognoscetur, si ea quae superius de ratione vivendi et agendi sunt nota, hic adplicentur. Nobis vero sufficet perpauca adjecisse, quae *Ramazzinius*, vir haud vulgari ingenio praeditus in egregio opere suo (²⁶) de hac gente refert, ac praecipue ea, quae de malis feminarum israëliticarum ab illarum muneribus pendentibus monet. „Feminae enim hebraeae, ait, neque nent, neque pectunt, nec texunt, neque ullam aliam Minervae artem norunt, nisi suendi. In hac autem ita praestant ac excellent, ut vestes laneas, sericeas et cujuscunque generis ita compingant, ut nullum suturae vestigium adpareat.“ Opus istud magnam exigit oculorum contentionem, cui non integros tantum dies dant operam, sed ad seram usque noctem ad te-

(²⁶) Diatribae de morb. artific. §. de morb. Judaeor.

nuissimum et languidulum lumen, quale praebet sepulcralis lucerna, detinentur; unde fit, ut quinquagesimo aetatis anno oculi earum hebetissimi sint. Huc accedit, quod, cum plerumque Hebraei in angustissimis vicis habitent, mulieres quocumque anni tempore, prope fenestras non bene clausas, vel plane apertas sedent scilicet luminis causa ad subtilia opera tam necessarii: quo fit, ut pectus et caput perflatu venti, varia contrahant mala; uti cephalalgias prae omnibus rheumaticas, aurium ac dentium dolores, gravedines, raucedines, tusses, lippitudines et quandoque his omnibus pejorem prosopalgiam. Porro haec constans immobilitas corporis ad sarciendi opus necessaria, eadem parit incommoda, quae notavimus in maribus. Prae omnibus tamen haemorrhoides maxime vexant Judaeas, modo ex ipsa superius indicata in eas proclivitate, modo ex nimio usu caldae arabicae et ciborum e farina paratorum; unde rursus alvus astricta, inflatio et similia oriuntur. Ejusmodi turbationes inter viscera, etiam graviditatis decursum mutant, efficiuntque, ut et ipsum postea puerperium alieno tempore accidat. In puerperio autem plus etiam damni sibi adferunt, quin imo necem plerumque parant insano more, quem veluti religiosum observant, utendi balneis ex aqua frigida, in quam feminae a partu recentes immit-

tuntur, aequae ac illa consuetudine prava, quam permulti sequuntur, ut cubiculum in quo puerpera degit undique sit clausum, et ne ea, quae huic substrata sunt, mutantur, aut a fimo purgentur. Quae inde fluant mala, per se patet; et in universum quidem inflammationes peritonaei vel partium in partu primas tenentium acutae vel longae cum iis, quae hinc sequuntur, huc referri possunt. Ac denique noxios parit effectus in genitalibus Judaeorum usus carbonum candentium, supra quos testae impositos sedere solent. Non negamus quidem eundem insanum morem nostris quoque feminis esse, eademque inde mala nasci; sed quoniam Judaeae multo plures, imo fere omnes mercaturam minutam exercent, et ideo per integros dies sub dio, aestate et hiemae degunt, crebrius igitur quam illae, ejusmodi artificiali calore artus refovere coguntur et ideo his malis, quae inde oriuntur, frequentius sunt obnoxiae, idque eo magis, quod intra parietes quoque, ne cubiculum calefacere sit opus, singulae feminae ollas ejusmodi carbonibus plenas sellis, in quibus sedent, supponere solent. Hinc rursus novus fons varii generis profluviorum e pudendis et ano, vel saltem congestionum ad partes illas huic morbo jam aliunde obnoxias, ut ex praecedentibus elucet.

Marium corporis incommoda, ex vario genere opificiorum venientia, certe nihil habent, quo ab iis distinguantur quibus et alii homines opificiis operam dantes, vexantur. Eorum autem, quorum numerus est maximus, videlicet, qui turpis lucri causa ab ortu solis ad occasum vias pervagantur, adfectus, jam supra exposuimus. Praeterea quotidie fere cernuntur Judaei induti veste sordibus inquinata, pinguedine et luto adeo oblita, ut procul jam male oleat? ex quo, qualis cutis eorum sit, facile intelligitur; quod incommodum augent etiam foetores naribus attracti, quum veteramentorum coëmendorum causa, foetidissima loca perreptent continenti clamore eos evocantes, qui vendere velint; atque ita tussim, nauseam, et vertiginem contrahentes; quae multo magis exasperant. Namque domum reversi cum sordidis illis miseriae spoliis, cuncta in unum locum conjiciunt acervum exstruentes; quem si post aliquod tempus movent, dici vix potest, quantum foetorem excitent.

Quid enim magis abominandum excogitari potest, quam sordium quarumlibet strues ex aegrotantibus, moribundis, quin et mortuis collecta? Nonne hic uberrimus fons est habendus omnium contagiorum, quae miseram sortem Judaeorum nostrorum eo miseriorem reddunt? Sed videamus alium.

Permuli Judaei immobiles sedent ad januas tabernarum suarum, in ipso aëris perflatu, inertes omnino et expectantes, dum aliquem nanciscantur, cui centones vendant, quem incautum laceris vestibibus egregie ex frustulis consuti deludant. — Horum morbi communes sunt cum iis, quos parit aëris intemperies aut sedendi consuetudo. Tandem descriptioni horrendae hujus multitudinis morborum, finem imposituri adjicere cogimur: febribus intermittentibus varii typi Judaeos frequentius vexari, quam alios nostrae terrae incolas. Nam quum tot incommodis obnoxia sit cutis, fieri vix potest, quin viscera quoque eorumque nervi opprimantur, atque inde febres intermittentes oriantur; quae vel benigno naturae conamine laesum harum partium munus ad normam reducunt, vel symptoma sunt nullo modo digerendarum in ipsis visceribus stasium et tunc continuo recidentes non raro exitiosae evadunt: quod in Judaeis eo magis perniciosum est, quia tot morbis supra commemoratis semper obnoxii sunt. De qua re lubenter opponerem plura, si non carerem observationibus, quas me in actis valetudinarii Judaici invenire posse speraveram. Si igitur tantus est numerus malorum, quae Judaeos infestant in hac aetate, maxime idonea ad procreandam prolem, facile inde conjici potest, qualis futura soboles sit, quot

semina morborum in ipso vitae ingressu secum adferat, quum jam supra satis superque dictum sit; nunc, quod restat, exponam: quae valetudo senectuti contingat, post morbosam aetatem, quae apud alios populos vigoris plena esse solet.

§. 4. AETAS SENILIS.

Per se patet, omnes, de quibus egimus morbos in hanc quoque aetatem produci posse, aut in alios rursus degenerare. Sed quasi haec nondum sufficerent ad opprimendam Israelis gentem, novi insuper, senibus proprii oriuntur; qui tamen plerumque inevitabiles fere sunt effectus malorum antea allatorum. Cum a prima infantia ad seram usque senectutem foedis impetiginibus obnoxii sunt Judaei nostri, earum igitur longa mora, actiones etiam nonnullorum viscerum cum cute artissime cohaerentium, maxime autem iecoris renunque turbentur necesse est. Ex his autem vitiis multifor- mem arthritidem provenire neminem medicorum latet; quo fit; ut dirus hic morbus senibus Judaeis parce ac duriter viventibus, crebrius quam hominibus aliae religionis, contingat; quin misera eorum vita et horrenda spurcicia malum istud frequentius atque atrocius upud Judaeos reddit, et quidem sub formis diversissimis. Hinc enim oriuntur dolores juncturarum, morbus qui vix cuidam

Judaeo senectute confecto parcit, quorumque plurimi ad scholam policlinicam accedunt, difficultates urinae, dolores renum, inflammationes vesicae urinariae, pituitae cursus e viis urinae, valetudo calculorum, lumbagines, ischiades, aequae crebro occurunt ac molimina haemorrhoidalia ipsumque sanguinis ex ano profluvium, colicae flatulentae, alvus astricta, tumores jecoris splenisque, icteri, quorum in Judaeis nonnullis per urbem nostram vagantibus exquisitissima conspiciuntur exempla; cardialgiae, proclivitas ad iram, hydropes, maculae in cute diversicolores, varices, scorbutus⁽²⁷⁾ haemorrhagiae passivae, quae feбри hecticae junctae reliquam vitae flammam extinguunt. Tanta est igitur multitudo morborum ex una scaturigine promanantium, ut fere familiam constituat; unde venit, ut quadragenarii similes jam decrepitis senibus observentur, facie lurida, ventre tumido, anhelantes, segnes, surdi, idiotae, insomnia vexati, caecutientes, cujus vitii creberrima causa glaucoma est.

Trichoma denique verum ex arthritica intestinorum perturbatione ut plurimum pendens, inter Judaeos, quam alios populos, crebrius occurrere videtur. Rusticis enim nostris et praecipue mulieribus

(27) Czacki in opere supra allato refert: scorbuto gravius vexari Judaeos circa Varsaviam quam in meridionalibus regni provinciis.

reliquo corpore sanis, si (quod frequenter accedit) capilli turbantur, turpitude haec vel ex eo nascitur, quod ipsos cogitate haud pectunt vel quod cera aliaque ratione eosdem conglutinant, eo videlicet consilio ut varii alii morbi arceantur vel amoveantur. Nihilo tamen minus Hebraeis morbus iste proprius esse videtur, quia actioni potentiarum ipsum efficientium prae omnibus obnoxii sunt.

Quamobrem jam *Zakrzewius* observavit malum hoc ideo creberrimum esse flagellum Judaeorum polonicorum, quod negligunt corporis cultum (28). Atque haec causa est, cur longe rarius morbus iste infestat eam Judaeorum partem, quae *Caraitarum* nomine venit. Hi enim reliquorum praejudicia et perversam rationem vivendi non sequuntur; sed laboriosi, potissimum agriculturae dediti in salubribus ac tersis degunt domiciliis. Contra vero qui strenue talmudi praecepta servant, sordium pleni, teste eodem autore ex acribus vilibusque nutrimentis malum hoc vulgo nanciscuntur; praecipue ex nimio usu cepae, allii, harengorum, casei vetusti, sicerae, cerevisiae acescentis; faeminae autem ex intemperanti abusu potus ad coffeae similitudinem parati ciborumque pinguium ac durorum. Modus gerendi capillorum multum etiam

(28) Medicinisch-litterarische Geschichte des Weichselzopfes. — Wien 1830. 10 Abtheil. pag. 145.

confert ad gignenda trichomata, qui licet vulgo succincti sint apud nostros Judaeos, capronae tamen, ut vel longissimae crispaeque fiant omnibus modis curantur. Barbam etiam quam densissimam et comptam efficere studentes, quamplurimum conferunt ad confundendos pilos. Nobismet ipsis erat occasio videndi Judaeum aurigam, cujus capronae et barbae pars maxima convoluta funium instar dependebat, unde certe, hanc formam antiqui scriptores poloni et plebs ipsa villos judaicos (warko-cze żydowskie) appellavere. Anno etiam proxime superiori venit in scholam policlinicam medicam Judaeus provectoris aetatis, cujus caput, post diutinum atque continuum dolorem, spatio aliquot mensium ingenti nodo tectum est, molestiis tamen vix lenitis. Horrendum miseri caput simillimum erat ejus trichomatis formae, quam *Alibertus* caput Medusae nuncupavit (²⁹).

Magnopere etiam favet trichomati non solum apud Judaeos sed etiam apud rusticos nostrates, calor nimius, quo caput fovere solent, dum pedes frigere sinunt; unde humores versus superiores corporis partes copiosius feruntur et inter multos

(²⁹) Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau.
Paris 1818 T. I. pag. 99.

adfectus trichoma pariant necesse est, ut recte judicat *J. C. Gaseus* (³⁰) et *G. A. Haaseus* (³¹).

Ast praeter tantum numerum morborum sporadicorum, quibus Judaei subjiciuntur, epidemii etiam si qui occurrunt, adfectus, multo magis in eos saevire solent quam alios cives. Evidens habebatur exemplum in Cholera indica, ante decennium maxime nostras regiones depopulante. Tunc enim Judaei etiamsi vix quartam partem omnium incolarum Cracoviae explebant, numerus tamen de hac gente mortuorum aequabat aut praesuperabat numerum absumtorum hoc morbo Christianorum (³²). Similis certe erat ratio mortuorum grassantibus etiam aliis morbis popularibus, praecipue typho exanthematico, febribusve putridis, apud nos crebrius prae ceteris provenientibus. — Dolendum tantum, quod accuratiores hac de re observationes, praecipue quod ad Judaeos attinet, desiderantur; nisi quod *Lernetus* (³³) adnotavit ulcera bubonesque apertos apud Hebraeos pesti-

(³⁰) Mémoire sur la plique polonaise, in T. I. Mémoires de la Société de Médecine. Paris 1817.

(³¹) Ueber die Erkenntniss und Kur der Chronischen Krankheiten etc. Wien u. Leipzig 1820. III. B. 10 Cap.

(³²) Gazety krakowskie. — Dzienniki rządowe W. M. Krakowa z roku 1831.

(³³) Rocznik Tow. warszaws. przyjaciół nauk r. 1817. Tom XI. pag. 82.

lentia asiatica seu typho anthracico implicitos, simulque scabiosos aegerrime sanari.

§. 5. DE MORBIS PRAVA PARTIUM FORMA

INNIXIS.

Morbi partium solidarum a potentiis mechanicis inducti, ut luxationes, fracturae, rarius quidem apud Judaeos omnibus duris laboribus sesse subtrahentes accidunt, ast tanto frequentius ex prava humorum indole scirrhi, carcinomata et alia veniunt similia. Notabilem casum scirrhi testiculi apud Judaeum quemdam non possumus silentio praetermittere. Vir erat quadragenarius circiter, robustus, paulo vehementioris ingenii, sartor, qui ulcere syphilitico glandis et blennorrhoea urethrae ejusdem naturae ante plures annos adfectus, brevi tamen tempore sanatus est. Postea ignota ex causa jam ab uno alterove anno testiculum dextrum crescere conspexit; quod parvi pendebat, donec dolores indies atrociores, atque tumor continuo major, ipsum coëgerit, ad auxilium in schola clinica chirurgica quaerendum. Ibi Clar. Prof. *Bierkowski* dextera manu testiculum ei feliciter excidit magnitudinis fere duorum pugnorum, tres quadrantes librae valentem, figurae ovatae, ipsum annulum abdominalem externum attingentem, intus partim cartilagosum, partim steatomatosum.

Frequenter etiam Judaeos male habet carcinoma linguae, mammarum aliarumque partium. Praecipue in fastis nosocomii ad S. Spiritum soepe fit mentio ejusmodi vitiorum, inter Judaeos utriusque sexus provectoris aetatis, occurrentium. Polypi praecipue narium et quidem sat magni, modo membranacei, modo carnosi, longe crebrius Hebraeis quam Christianis in schola clinica chirurgica extrahuntur. Singularia exempla istorum parasitorum, aut ipsa aut ex cera efficta in thesauro pathologico Academiae nostrae asservantur. — Tumores cystici diversissimi, praecipue apud Judaeos visuntur, in ntroque sexu et qualicumque aetate. Multi, qui non nisi paulum illis deturpati sunt, ac plane nihil incommodi patiuntur, per urbem vagantes conspici possunt; alii tamen in schola clinica chirurgica ab hisce turpibus tuberibus ope cultri liberati, longe majori sunt numero quam Christiani; ut contendere possimus: parasitos illos ter quaterve frequentiores esse apud Judaeos, quam apud alios hujus regionis incolas. Extra omnem dubitationem positum est harum deformitatum multas causas, in corpore latitare, quam sententiam *Rustius* (³⁴) quoque tuetur. Dolendum tamen, minime adhuc erui potuisse, in quo proprie eae

(³⁴) Aufsätze und Abhandl. aus dem Gebiete der Medic. etc. T. I. pag. 256. T. II. pag. 453 etc. Magasin für die gesammte Heil-

consistent. Quia vero Judaei tot adfectibus obnoxii sunt, modo qui contra e mutato munere intestinorum pendent; nihil igitur mirum, si in corpore illorum singularem proclivitatem ad generandos tales parasitos videmus. Hic etiam maxime opportunus esse videtur locus, ut fiat mentio de auditu hebetes, vitio apud Judaeus nostros creberrimo; cujus saepissime non alia est causa, nisi coitus spissi durique ceruminis, in meatu auditorio externo, quo sat frequenter in schola polyclinica chirurgica exempto, acies auditus illico rediit. Scire enim oportet, a Judaeis nostris, praeter neglectam in universum munditiam, aequae viris ac feminis, et his quidem, quousque viro haud nupserant, densis crispatisque capillis largiter unctis, cooperiri aures, certe nunquam purgari solitas. Non assimilia quoque mulieribus Israëliticis accidunt, quae mitellis aures suas obturant ⁽³⁵⁾.

kunde B. 34 pag. 378. Zeitung des Vereins für Heilkunde in Preussen 1833. Nr 43.

(35) Eadem etiam refert Theinerus in sua dissertatione supra commemorata.

CAPUT II.

De morbis vitae sensiferae.

Perpendamus nunc, quae patiatur prava Judaeorum facultas sentiendi, non minus ac percipiendi, intelligendi et ratiocinandi, seu mens ipsa. Hebraei longe plures experiuntur morbos nervorum et animi, quam alii incolae nostrae civitatis. Atque prius causas hujus rei, nec non singulorum adfectuum perscrutari nobis in animo est, quam ad enumerationem eorum accedamus.

Naturalis teneritudo corporis Judaeorum iterum efficere videtur, ut a prima infantia stimulos quoscunque aegrius ferunt, iisque magis quam alii periclitentur. Procedente aetate, vigor vitae parum augetur, ob adversas, quibus continenter exponuntur, rerum conditiones; imo quanto plures finguntur et excoluntur mentis facultates, tanto plures ejus nervorumque incommoda, maturiorem aetatem affligunt, quo et insana educatio atque ineptum vivendi genus haud parum conferunt. Haec ergo ut rite ex fonte suo deducantur supra statutum ordinem secundum aetates sequi statuimus.

Sic jam a parentibus transmissa permultorum morborum germina ferentes infantuli, dura et iniqua sorte premuntur, inevitabili socia miserae plurimorum Judaeorum nostrorum vitae conditionis. Propter haec igitur et innatam sibi socordiam permultae nevroses jam recens natos invadunt Judaeos. Crebro enim accidit, ut pigrae matres, ne noctu liberorum causa e lecto surgere cogantur, hosce in commune torum excipiunt; quare non raro eos ab incautis per somnum suffocari aut in terram deici, jam *Wolfius* narrat in opusculo, de quo in prooemio mentionem fecimus. Ex lapsu autem, calvariam ipsumque varia ratione laedi, inflammari cerebrum, aquam super ipsum effundi variasque ex eo oriri nevroses puta spasmos, paralysis, fatuitatem inter omnes convenit; nobisque ipsis morbos recte allatos, hac causa genitos in schola policlinica medica in infantibus Judaeorum observandi sat frequens data fuit occasio. — At praecipue choreae *S. Viti* exquisita exempla, spatio paucorum annorum, per quos scholas clinicas frequentavimus, ter quaterve vidimus; semper in pueris judaeis aequae oborta ex simili ni fallor causa mechanica. Non minus gravia Judaeorum infantibus minantur mala, quae post varias metastases et praecipue hac aetate post impetigines tam facile intus compellendas insequi

solent; quibus ut vidimus cutis fere uniuscujusque infantis israëlitici obsessa est. Si enim squalentes aliquando lavantur haud raro simul refrigerio exponuntur, propter penuriam aptarum vestium angustiasque rei domesticae. Alias vero exanthematis pusionem adficientibus medetur ipsa mater, aut rudis aliquis profanus depellendo ea plerumque solis remediis externis exsiccantibus. Haec igitur interiora petere praecipue nervos adgredi et multiplicia gignere mala de quibus paulo ante diximus, facile patet.

Hactenus inferiorem tantum partem vitae sensiferae, eam videlicet quae motui ac sensui praest, adfectam fuisse vidimus; sed ipsam etiam mentem hac aetate alienari posse, nemo dubitabit, quem non latet, amnesiae ac stupiditatis in infantia acquisitae casus inveniri plures, uti jam supra retulimus. Pueris quidem non tam facile animus commovetur, ab aliis igitur causis eum perturbari persuasum nobis est. Prae omnibus autem adeo crebra est apud nostros Judaeos amentia, ut in pueritia quoque reperiatur. Notatu dignus fuit hujus mali casus ante biennium in puero Judaeo observatus, tredecim annos nato, villa Borek oriundo, quae prope Cracoviam in Galicia est. Hujus mens primum ab aliquot hebdomadibus labare coepit, ac tandem demens factus est. Parentes ejus diver-

orum medicorum opem quaerentes, tandem in nostram scholam clinicam venerunt. Miser, pallidus ac tener ille puer, propter adstantes timidus, pavidus, inquietus, identidem foras petere conabatur ad faciendas preces; solus autem derelictus cum pleno ardore et vociferatione, aut ejulatu potius, plus minusve contento, vehementi capitis ad pectus et retrorsum motu, manuum digitorumque in pugnum compressorum atque pedum violenta jactatione, preces istas exsequebatur, sed nullo ordine, (ut asserebat audiens pater) repetens eadem saepius verba ex libro quem habuit. Feminas adeo pati non potuit, ut a sua matre oculos averteret, sorores vero aut alias sibi obvias puellas lapidibus peteret. Vera igitur haec fuit imago maniae religiosae, cujus tamen causam aliam consanguinei adsignare nequiverunt, nisi quod amantissimus idem filiulus a praeceptore domestico nimis severe educaretur, caputque ejus saepe percuteretur. De aliis autem causis interrogati, cuncta negabant. Nihilo tamen minus, verosimillimum est, masturbationi (etsi parentes et propinqui se ignorare fatebantur) mali istius culpam tribuendam esse: siquidem notum est; masturbatores plerumque homines esse summe religiosos, praesertim ab initio, dum nondum amiserunt pudorem neque se totos vitio dederunt;

quod in juniore aetate evenire potissimum solet. Inde venit, ut quo gravius conscientia tam turpis peccati excruciantur, eo magis, expiandi quodammodo causa, cogitationes ad res divinas intendunt, praesertim quum illecebris foedae voluptatis irretiti, ei resistere nequeunt, sive vitio quodam corporis e. g. scrophula mesenterii et aliis, sive ex sola consuetudine, maxime vituperanda. At haec continens voluntatis cum voluptate certatio, in qua voluntas succumbit, novi angoris fit causa, qui miseros masturbatores paene ad desperationem adigit, ac tandem stomachosos, epilepticos, mente captos, tabidos et cachecticos reddit. Eandem nostri pueri conditionem fuisse, cuivis probabile videbitur, qui odium ejus, quo in feminas ferebatur, consideraverit. At dolendum est, parentes ejus in schola nostra amplius non comparuisse, ut rescire possemus, num praescriptis remediis puer usus sit et quali cum effectu. — Mos summe vituperandus, apud plerosque Judaeos est, ut capto consilio in scholis policlinicis, sive sanati sint, sive non sanati, jam amplius eas non adeant.

Plerique Judaei, pravo more ducti tenera adhuc aetate, utpote vix puberes, matrimonia praemature ineunt; hinc molestissima hypochondriasis, imbecillitas artuum, stupor mentis, ac denique vesaniarum variae species augent horrendam cohor-

tem malorum, de quibus supra egimus; quae quidem adeo frequentes sunt inter eos, ut (salva veritate id dicimus) dimidium illorum praesertim virorum, qui in scholam policlinicam ventitant, uno alterove ex recensitis morbis vitae sensiferae affligi cernantur. Praeter haec, aliae etiam aequae graves, quin imo graviiores habentur causae, quae facultates mentis juvenum potissimum Judaeorum turbant. Harum in numero princeps perversa est eruditio. Primis jam vitae annis pueri, ut monuimus, paedagogis committuntur; ubi statim ad discendam gemmaram coguntur, quae eos docere debet solertiam, calliditatem usumque promti consilii; cuncta haec ita tractantur, ut discipuli ea ad usum transferre sciant, praecepta exemplis illustando. Cum autem ingens istis libris contineatur variarum notitiarum copia atque subtiles ibi differentiae acutum ingenium, sagacitatem animi ac tenacem postulent memoriam; nimius igitur hic labor, vires pueri longe excedens, teneram adhuc mentem, facile labefactat, alienat, et a prima jam aetate aegrotam reddit. Hinc etiam puerum istum alienatum, de quo supra disputavimus, haud exiguam partem morbi, ex ejusmodi quoque libris traxisse, minime dubitari potest.

Non ita pridem, nam vix ante unum alterumve mensem, fuit nobis ipsis occasio, Judaeum observandi quindecim annorum, aequae corpore sicut ille

debilem, inopem vitam degentem, qui utut parum tenaci memoria et intellectu imbecillo esset, summo studio volumina talmudi, mischnae et alia perscrutari conatus est. Consumtis jam aliquot mensibus in tam molesto opere, quod abstrusa, incomprehensibilia ac mere absurda commenta magistrorum judaicorum in sanam legem Mosis, continet; nil mirum, si mentis errore adfectus est. Infelix ille puer, iterum jam hoc animi malo correptus, magna voce clamans, nostro sermone diras imprecabatur adstantibus et convicium faciebat, simulque sibi modo vinum, modo siceram, modo hydromel, quibus ante indulsisse videbatur, dari postulabat; quibus negatis, vultu ad ferocitatem composito, violentas manus injicere conatus est. Post pauca tandem horae momenta quum se collegisset et mentis compos factus videretur, tamen verbis alienatam mentem indicabat, et minima data occasione, iterum in insaniam recidebat. Is tandem adolescens, cura poliatri egenorum Judaeorum semel atque iterum magna ex parte a malo isto liberatus est remediis refrigerantibus capiti adplicatis et vel maxime psychrolusiis, quae illi maximum afferebant levamen, cum tantum minima signa novi accessus maniae adparerent. — Hoc inexplicabile studium, quo ediscere ac fere in succum et sanguinem convertere conantur futilia simulque arguta et spinosa figmenta theosophiae

cabbalisticae, jam millenorum Judaeorum animos confunderunt, hodieque sanam illorum mentem pervertunt; praesertim apud nos ubi opinionibus praedjudicatis tenaciter inhaerent, et ubi indies prope nova a talmudistis et cabbalisticis excogitantur deliramenta (³⁶). Hisce ineptiis Judaei dies noctesque studentes, nec viribus, nec oculis parcunt a prima juventute ad decrepitam usque senectutem ac tandem isto labore irriti fessi, fatui, melancholici, hypochondriaci evadunt; imbutique nugis monomaniae, vampirismi, corybantismi, fanatici aut maniacy fiunt.

Ante triennium advenit in scholam policlinicam medicam praeceptor judaeus fere quadragenarius, quem crebrae atque vehementes distentiones nervorum, epilepsiae similes cum dolore in praecordiis haud plane remittente divexabant; sed semel tan-

(³⁶) Superiore seculo rabbinus *Israël Bael-Achem Hirszowicz* Mediboriae (Międzyborze), Podoliae oppido novam instituit sectam cui *Chassidimorum* nomen imposuit, omnium haecenus vigentium turpissimam, quae omnis generis scelera certa conditione cum operibus Deo acceptis consociare studuit, et nugis cabbalisticis vel maxime dedita erat. Haec, quamvis multos asseclas erat nacta ab honestioribus tamen Judaeis ut meruit contempta est. *Jacobus Clemanson* Rubiesaviensis in opusculo suo de hac secta edito, (pag. 18, 19.) regiminis curatores monet, ut tam periculosam societatem exterminare studeant. Etiam *Davidus Friedlaenderus* Judaeus polonicus, pluresque alii valdopere Chassidimos castigant, de quibus vide opus *Radominscii* (*Co wstrzymuje reformę żydów*); *Czacki* (*Rozprawa o ży-*

tum ibidem visus. Morbi jam ab anno circiter durantis causa, certe non alia fuit, quam assidua animi contentio. At praeterea vix non sextus quisque aut octavus Judaeorum, qui scholam policlinicam veniunt, eidem docendi munere fungens, mediae aut provectoris aetatis stupidus est vel fatuus; atque amentia inter Judaeos eo frequentior est quo magis ad causas supra recensitas aliae accedunt mentem juniorum praecipue Judaeorum opprimentes, ex quo novis etiam disciplinis operam dare, linguasque, praecipue latinam, francogallicam et alias ediscere coeperunt; ad quas non satis praeparati nec fundamentis grammatices imbuti, tempore diurno in negotiis ut plurimum transeunte, integras noctes consumunt in lectione librorum, quos tamen, adhibita etiam maxima ingenii contentione, non intelligunt. Superest nunc ut adhuc quaedam

dach §. 3. pag. 105) et Goodevini (Mosee et Aaron pag. 106). Aliam rursus scholam condidit Judaeus Frankius nomine, ad speciem christianam formulam amplexus, anilibus corrupti judaismi nugis admixtis. Floruit ille circa a. 1750 in Valachia et mortuus est Offenbachii. Sectatores ejus diu, quin ad initium nostri seculi passim Varsaviae comparebant, sed ab omnibus contempti, tandem a placitis magistri sui, saltem specie discesserunt (Czaacki l. c.) Ejus modi histriones religiosi, sive potius mania religiosa laborantes in cracoviensi etiam republica, nostris diebus non pauci fuerunt sub peregrinantium specie; qui novi quasi prophetae et populi praeceptores credulam plebem judaicam ad se alliciebant. Cura tamen magistratum hae ineptiae abrogatae sunt.

de nervorum adfectionibus, sexui duntaxat femineo propriis dicam. Quorum certe prima est hysteriasis, quae tanto crebrior et pervicacior apud Judaeas est, quo plures noxiae, jam superius memoratae actiones genitalium turbent. Ad has pravitates sensus communis accedunt non raro multiplicia incommoda, quae variae superstitiones religiosae excitant. Inter alia satis multa protulisse sufficiet unum exemplum hysteriae ex ejusmodi potissimum causis ortae.

Anno superiore venit in scholam policlinicam medicam Judaea triginta sex annos nata, constitutionis nervosae et temperamenti fere cholericum, mater aliquot liberorum. Brevi post partum sat difficilem et perperium non satis rite sine dubio absolutum, correpta est gravedine, cui non absimilem etiam priore anno adfecta erat. Tum tamen longe alia opinio de origine mali, huic morbo sese adjunxit. Credulae enim plebis israhelicae sententia est: peccantes quandoque a manibus proavorum per somnum moneri, compressione, ictu fortiori aut vellicatione alicujus partis corporis, adeo ut inde ulcera maligna vix sanabilia oriantur. Hinc et nostra quoque aegrota autumabat, nasum sibi, placido somno oppressae, a daemone aliquo tractum fuisse, et inde morbum exortum esse. Nares re vera rubrae cernebantur, minime tamen adeo gravis inflam-

matio erat, ut tantos dolores, de quibus aegrotata quaerebatur, excitare posset. Remediis igitur emollientibus et sopientibus malo obviam itum est; at incassum, dolores in dies exasperari videbantur, tandem anxietates varii generis, spasmi in gutture et praecordiis, aliaeque molestiae, hactenus latitantem hysteriasim patefecerunt. Tum medicamenta idonea porrecta, malum saltem ex parte mitigarunt. Decubuit quoque ante triennium in schola clinica medica Judaea virgo vicesimum circiter aetatis annum agens, non stato tempore menstruans, tenera, cholericam, iracundam, quae dum in altercatione iram suam evomere studet, singultu correpta, eo per aliquot dies cruciabatur, donec morbus consecuta irritatione diaphragmatis per hirudines abacta, medicamentis nervos paccantibus debellatus est, superstite tamen quadam incitatione praecordiorum. Haec mox, postquam aegrotata domum reversa est in hystericas abiit molestias, quarum causa postea auxilium in schola policlinica quaesivit. Anno quoque superiore in eandem scholam medicinae practicae, caelebs, lacertosa, plethorica, matura aetatis, sordibus oblita, venit Judaea, quam vera andromania cruciabat, et in morocomium ad S. Spiritum relegata est. Itidem ante duos annos vidimus in schola policlinica medica Judaeam cum sua filia virgine novemdecim an-

norum, aequae robusta, sanguinis plena, quae
 gravi melancholia, cum taedio vitae laborabat, et-
 quidem ab eo statim die, quo ignota de causa ad
 desperationem adacta aquis immersa, se suffocare
 conata erat. Periculo tamen ab adstantibus erepta,
 quum eam urgeret turpis facinoris pudor, indies
 magis atque magis animo aegrotare coepit. Nu-
 per etiam quaedam Judaea eadem qua praecedens
 mentis conditione, vitae suae vim intulit. Non de-
 sunt quidem, quin imo satis frequentia sunt exem-
 pla variarum nevrosium, etiam inter reliquos hujus
 regionis incolas, nunquam tamen tam crebra, quam
 inter Judaeos, si consideremus longe majorem esse
 Christianorum in hacce viventium quam Judaeo-
 rum numerum.

Quae de hoc morbo retulimus, ea ne nobis qui-
 dem ipsis satisfacere sentimus. Sed excusabit nos
 apud indulgentem lectorem, quod plura et accura-
 tiora referre cupientibus, diarii domus ad S. Spi-
 ritum, ubi deliri curantur, adeo imperfecti sunt,
 aut potius fuerunt, ut non quae voluimus ac spe-
 ravimus, sed quae potuimus, inde haurire coacti
 simus. En igitur morbos, qui miseros Hebraeos,
 nostras regiones inhahitantes vexant. Quorum qui-
 dem tantus esse numerus videtur, ut credere pos-
 sis, fontem malorum universo generi humano de-
 stinatorum in nostros Judaeos effusum esse. At id

non fato aliquo contingit huic genti; sed Judaeorum conditio, ratio vivendi, et superstitiones efficiunt, ut morbi alii soli judaicae plebi sint proprii, alii eam magis, quam ceteros incolas, vexent. Ab iis autem facile liberari posse, documento est, quod illi Judaei, qui genus vitae nostro simile sequuntur, iis aut omnino non infestentur, aut certe rarius obnoxii sint. Quod ut in reliquis quoque obtineat aliquando ex animo optamus; futurumque sperere nos jubet provida cura eorum, qui res civitatis nostrae gubernant et sedulo id agunt, ut Judaei quoque non minus firma, quam reliqui incolae, valetudine utantur, et aequae utiles reipublicae sint cives.

T H E S E S.

O P P O N E N T I B U S :

Francisco Benedic. Bulikowski Med. et Chir. Dre
Scholae obstetriciae Adjuncto.

Joan. Blasio Bobrzyński Med. Dre Scholae Clini.
Medicae Adjuncto.

Josepho Alexand. Jaszczurowski Med. Dre Scholae
Clini. Chirurg. Adjuncto.

Die 26 Octobris 1841.

1. Iris ex textu vasculari potissimum constat.
2. Sudor non semper significat auctam actionem cutis.
3. Vis affinitatis chemicae cum vi electro-magnetica cohaeret.
4. Vulnus amputati brachii per primam intentionem glutinatum periculo non vacat.
5. Sanatio fistulae ani caute instituenda.
6. Lepra multo majorem habuit similitudinem cum scabie, aut saltem cum variis psydraciae generibus, quam cum lue venerea.
7. Aquae medicatae artefactae a naturalibus in sua efficacitate parum differunt.

8. Praecepta hygienae ab iisdem therapiae in praxi separari non possunt.
9. Suicidium, aliaque facinora, plerumque e prava temperie nervorum gangliosorum repetenda.
10. Judaei nostrates maximam medicinae publicae merentur curam.
11. Subita mors saepissime ex adfectu interiorum partium pendet; lenta vero si vitium magis in summo corpore est.
12. Ars chirurgica primo demum et maxime in schola Alexandrina exulta est.
13. Ad situm vitiatum infantis in utero reclusi, liquoris annii haud idonea copia ut plurimum confert.



INSTYTUT
 B. D. N. LITERA. KICH. PAN.
 BIBLIOTEKA
 00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 79
 Tel. 26-68-63



F

21.8.38